

definiendam formata, inuertam hoc, quod modo reprehendi, et alia ratione demonstrem, eos, qui sic definiunt, non bene obseruare, quod veteres praecipunt. Sic autem, vti a CICERONE ^{b)} adcepimus, veteres praecipunt: *Quum sumseris ea, quae sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit.* Ego vero puto, et id ipsum falsum esse, quod hac definitione continetur, omne rei litigiosae depositum esse sequestrationem. Neque in hac re demonstranda difficultas occurrit. Quis enim non videt, fieri posse, vt quis possessor, cui de dominio rei lis mota sit, rem eam deponat apud tertium, quod custodire iam eam non potest, forte, quia tumultus aut incendium ortum est, aut quia peregrinationem suscipere vult? Quod si factum est, eritne rei litigiosae depositum? Quis negabit? Sed id ipsum sequestrum esse, quis, quaeso, vnquam vel somnando adfirmauerit? Quae quum ita sint, intelligitur, eos, qui sequestrum sic definiunt, vt dicant, esse rei litigiosae depositum, plura quoque definitione sua comprehendere, quam quae rei, quam definiunt, subiecta sunt. Quare satis adparet, dupliciter eos falli, et neutrum eorum seruare, quae in omni definitione formanda, quum inter doctos homines de iis ipsis rebus, quae versantur in artibus, disputatur, praecipit ratio et doctrina, vt TVLLIVS inquit ^{c)}, vt vis eius rei, quam definiamus, sic exprimatur, vt neque absit quidquam, neque supersit. In definitionibus enim neque abesse quidquam decet, neque redundare ^{d)}.

§. XVI.

b) in *Topicis* c. 6. f. 29.

d) sunt haec quoque CICERONIS ver-

c) *Lib. 2. de orat.* c. 25. f. 108.ba *ibid.* c. 19. extr.